

Gouan, Dn. Barnades, et e horto Parisiensi, nec dubito, quin et inter haec quaedam sint, quae Tibi desunt. Rariora saltem communicabo, si modo non nimis auarum mihi Te praebueris.

Parentem optimum, Matrem venerandam, Sororesque amabilissimas meis saluta verbis, ipseque optime et ter optime vale, mihi que faue. Hafniae d. X. Februarii 1769.

(109) Equiti Illustrissimo,

Dno Archiatro a Linné

Patrono ac Praeceptorī suo ad cineres colendo

S. pl. d. ac de incepto nouo anno

sincerrimis gratulatur votis

J. Zoëga.

Quod ad litteras binas humanissimas iusto serius respondeam, excuses millies rogo. Quod praecipuum posterioris erat Epistolae, in caussa fuit retardatae responsionis. Et Koenigius, et cui litteras cum plantis ad TE dederat Dux nauis ex Indiis redeuntis, crediderunt Koenigio non licere, vt plantas 1: naturalia quaecunque aliis quam iis a quibus missus est, daret, hinc post diuturnam inquisitionem demum tantum expertus sum, litteras Koenigii vna cum plantis traditas esse Commissario, vti dicitur, vestro in vrbe Helsingoer, qui Bahnsen dicitur, huncque litteras per tabellarium publicum, plantarum fasciculum verò per mare ad TE misisse, hinc nullus dubito, quin posteriorem mox accepturus sis. Ceterum Plantas Koenigii aliis negotiis occupatus nondum examinare potui, quasque vidi, his nulla adscripta erant nomina.

Diligentissimus certe est Koenigius, at sorte sua non erat contentus, dum primum in Indiam venerat. Iam vero cura Cl. Oederi factum est, vt Historicus naturalis regius declaratus sit, et praeter salarium, quo tanquam medicus missionis fruitur, quotannis 180 rdlr. a rege ipsi concessa sint. Nec satis TIBI laudare possum sinceritatem integritatemque